



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 44. Ruscinonis & Ceretaniæ Comitatum restitutio confirmata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

vidia, & vulneris levitate edoceretur. Sæcul. XV.
A.C. 1492.
Post hæc Sicario quæstioni subiecto, manifeste apparuit, hunc mente captum per quietem somniasse, quod Arragoniæ regnum ei jure competeret, Ferdinandus vero injustus illius detentor esset; quocirca Rex eum impune dimitti præcepit, nihilominus Rege inscio in illum lata est sententia, ut a quatuor equis in partes discerperetur; habita tamen dementiæ suæ ratione laqueo prævie suspensus obiit. Ceterum Ferdinandus sanato vulnere, sub finem Januarii cum tota aula Castellam reversus est.

§. XLIV.

Ruscinonis & Ceretanice Comitatum restitutio confirmata.

Ineunte anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio pacta de reddendis Ruscinonensi, & Ceretano Comitatibus tandem utrinque confirmata fuere. Cessionis hujus tabulas die decima octava Januarii Joannes Coloma Ferdinandi Regis Minister, & nomine Caroli VIII. Ludovicus de Ambasia Albiensis Episcopus Narbonnæ signabant. Ve-Marian, ibi.
Perpinianenses Hispanorum imperio insensu, datis ad Borbonii Ducissam literis hujus pacti executioni obluctati sunt: est insuper habitis, quas in epistola allegabant,

Sæcul. XV.

A.C. 1493.

gabant, rationum momentis, eorum preces rejectæ fuerunt; Carolus enim Italici belli desiderio captus, omnia consilia ad regni sui incrementum propostâ flocci pendebat, eademque ratione permotus, cum Romanorum Rege pacem sancire festinabat, pactis conditionibus Maximiliano non minus proficuis, quam simul æquitati consonis; justitiæ enim Legibus adversatus fuisset Carolus, si Margarita Austriaca Maximiliani filia ad Patrem suum remissa, nihilominus dotem suam a Galliarum Rege detentam amisisset.

§. XLV.

Pax inter Galliarum & Romanorum Reges.

Comin. tom.

5. edit. 1723.

p. 426.

P. Daniel

hist. Franc.

tom. 5. p. 75.

Mezer. ab-

reg. Chron.

tom. 4. p. 47.

Maximilianus Romanorum Rex, cum solus totam belli molem sustinendo impar esset, pro avertendis a se armis medium excogitabat omni expectatione felicius: inducebat enim Rex cunctos Belgicæ Provinciæ Ordines, ut Bruxellis comitia agerent, ac decernerent, quod tam suo, quam sui Principis Philippi Austriæ Archiducis nomine, quin tamen de Maximiliano ejus Patre mentio fieret, solemnem Legationem ad Carolum Galliarum Regem destinare velint, eo consilio, ut Regi pacta, quæ cum eis olim Ludovicus XI. iniisset, redderent.